



0cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22









ysambert

de



ysambert

de

Nulla enim rem
dia que vulnera
libentur

quam pice sunt
salutaria. —
salutaria. —

O Dom ap
petamus amorem
sue. Et tu

Sicut et tu
volumus.

O deus regnus
dia mea misericordia
per te.

5
Nov
1858

W^m confesses it should appear in his command to his brother
Benning or at least it has received some credit as if he had
proposed such a plan & that part of the paper is very well
written without any fault.

Gentile *decor* *picare* *H*

Marc-Frumber Omnia mecum facit

~~scenarystars.~~
~~Scenarystars~~
etc.

Want to go
within our own dominions & prefer
economy in sending such supplies
and work out among them
by and a good Dolan and his
assistant of the first rank

I was & am still your
very respett & affec
son & friend C. P. Bigg

W M. T. W. M. S. M.

Monsieur le frere le confidant que le conseil des
Maires de Paris m'a commandé

Monsieur et frere paroys que approuve ~~et accepte~~
bonnes intentz ouy l'ltre de l'ltre par Rys de
l'ordre ~~de~~ ce voulent desirer et accorde
et auquel il est puy. Et Recours a tout
tenu que ce ne conduiret de orgue
au Report de Granoys faché en son
frere que nullement a tellement perte l'ordre
~~et~~ et au coulours le pris de Guist nuyt

Monsieur et frere que contre ce ne poyez ~~et~~ poyez
feire fait vint d'auant l'ltre et l'entre lequel mesme
fond ordreable ~~et~~ nullement tenu que ~~assez~~ nuyt
poyez a faire feit estant ~~et~~ donez

Monsieur que le dehors poyez combier et que fairez
nt de de la commun que nuyt a l'Université

Monsieur que fist d'auant que nuyt une promesse
dans gentilhomme poyez ce voulent a

W M. Payer le somme de poyez le dehors
que nuyt a ce gentilhomme ouvre que ~~est~~ poyez
ouy mole nuyt ~~en~~ envoe a ce ouyde que ~~est~~ poyez
pays a gants ~~en~~ envoe a ce ouyde que ~~est~~ poyez le dehors
que nuyt a ce gentilhomme ouvre que ~~est~~ poyez

Monsieur au poyez de poyez a ce gentilhomme que ~~est~~ poyez

Monsieur poyez que nuyt ~~est~~ poyez que ~~est~~ poyez
a poyez ouyde que nuyt ce voulent de poyez

Monsieur que de ce poyez que nuyt ce voulent de poyez

comme poyez ditz de la poyez que nuyt
ce voulent de poyez que nuyt ce voulent de poyez

P.S.

je fust demandé soy estoys en mons et ordé
provoé de luy faire obligeacion de venir et soy ren-
tenu pour les despons du prochain que pour autre
chose que ne demandoy. Dont t'as mes opiniones
au contraire ~~assez~~ déclarées par mesme. ~~assez~~
~~me~~ il y a ~~assez~~ temps que le roialme
que le roy est assis au trone par la ville regnante
font regne ne despot ~~assez~~ Pontus Monsieur
et fere il vont playez ne ander estat ordene
il ne mende nul boy admis et conseil regne
le Royne hante maistre dont payant de Rodef nait
supplieation que voulx plaire mons que ~~assez~~ de Grand
ausquelle son maintenanc feust fait. Rendit voulx à son
général Ronsel que lea en estoit endroic le Roy
et voulx de tout quitter sur voulx offrir 500 deniers
et refugier auquel le moy appelle ne recommander juro
et fait auquel le de bon comte auquel come gracie
et a celle de madame celle que le Roi de Bretagne
mea dont le fait et refugier et que le Roi de Bretagne

m

m

Monseigneur et oncle nement le pere que
de vostre grace il vous prie faire faire
ment maintenir sonne L'ordre de
la Rose au Roi sonne Imperatrice d'Espagne
et General Roi prieant en ce present que
les heraldes de la Rose se fassent faire
l'escu d'armes de la Rose gracie et Ordre
du Roi de Castille que l'ordre prieant donne
que docez et sante fassent
et l'ordre d'armes de Paris ou
de la Rose

1353613

P.H.P.

Reg Mn 10831/2

C. PLINII SE-
cundi Nouocomensis
de viris illustribus liber,
QVI VVLGO COR-
nelio Nepoti ascribitur.



P A R I S I S,

*Ex Typographia Thomae Richardi, sub Bibliis
aureis, è regione collegij Remensis.*

1559.

272

C.Plinij secundi Nouocomē-

SIS DE VIRIS ILLV-
stribus Liber.

De Proca rege Albanorum.

Cap. I.



ROCA rex Albanorum
Amulum & Numitorem filios habuit, quibus regnū annuis vicibus habēdū reliquit,
& ut alternis imperarent: sed Amulius fratri imperium nō dedit: & ut eum sobole priuaret, Rheam Syluiā filiā eius, Vesta sacerdotem prefecit, ut virginitate perpetua teneretur: quae à Marte cōpressa Romulum & Remum edidit. Amulius ipsam in vincula cōpegit: paruulos in Tyberim abiecit: quos aqua in fisco reliquit. Ad vagitū lupa accurrit, eōsq[ue] uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor collectos Accæ Laurentiæ coniugi educando dedit. Qui postea Amilio interfecto, Numitoria regnum restituerunt: ipsi pastoribus coadunatis ciuitatem condiderunt: quam Romulus augurio vīctor, quod ipse XII. Remus VI. vultures viderat, Romam vocauit, & ut eā prius legibus, quam mānibus muniret, edixit ne quis vallum transfiliret: quod Remus irridens, transfiluit, & à Fabio Celere centurione rastro fertur occisus.

De Romulo Romanorum rege I. Cap. II.

ROMVLVS asylum conuenis patefecit, & magno

A ij

C. PLINII

exercitu facto, quum videret coniugia deesse, per legatos à finitimiis ciuitatibus petiit. Quibus negatis, ludos Cosualia simulauit: ad quos cùm utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptæ sunt: ex quibus quū una pulcherrima cum magna omniū admiratione duceretur, Thalassio eam duci responsum. Quæ nuptiæ quia feliciter cesserunt, institutum est ut omnibus nuptiis Thalassij nomen inuocaretur. Quum fæminas finitimorum Romani vi rapuissent, primi Ceninenses contra eos bellum sumpserunt. Aduersus quos Romulus processit, & exercitum eorum, ac ducem Acronem singulari prælio denicit. Spolia opima Ioui Pheretrio in Capitolio consecravit. Sabini ob raptas bellum aduersus Romanos sumpserunt. Et quū Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem naclī, quæ aquæ causa sacrorum gratia hauriendæ descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit quod illi in sinistris manibus gerebat, vide licet annulos & armillas. quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, ubi T. Tatius scutis eam obrui præcepit. nam & ea in lauis habuerat. Romulus aduersus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat, processit: ac in eo loco ubi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit: ibi Hostius Hostilius fortissime dimicans cecidit: cuius interitu consternati Romani fugere cœperūt. Tūc Romulus Ioui Statori ædem vovit, & exercitui seu fortè, seu diuinitus restitit. Tunc raptæ in medium processerūt: & hinc patres, inde coniuges deprecatae, pacem conciliarūt. Romulus fædus percus sit, & Sabinos in urbem recepit: populum à Curibus oppido Sabinorum Quirites vocauit. Centum Senatores ab

ætate Patres appellauit. Tres equitum centurias instituit, quas à suo nomine Ramnæses, à Tito Tatio Titienses, à Luncumone Luceres appellauit. Plebem in triginta curias distribuit, eásque raptarum nomine appellauit. Quum apud Capreæ paludem exercitum lustraret, nō nunquam comparuit: unde inter patres & populum seditione orta, Julius Procillus vir nobilis in concionem processit, & iureiurando firmauit, Romulum à se in colle Quirinali visum augustiore forma, quum ad deos abiret, cundémque præcipere ut seditionibus abstinerent, virtutem colerent: futurum ut omnium gentium domini existeret. Huius authoritati creditum est: aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus, & Quirinus est appellatus.

De Numa Pompilio Romanorum rege II.

Cap. III.

POST cōsecrationem Romuli, cūm diu inter regno seditiones orirentur, Numa Pompilius Pomponij filius, Cribus oppido Sabinorum accitus, cūm adducentibus ciuibus Romam venisset, ut populum ferū religione molliret, sacra plurima instituit, adē Vestæ fecit, virgines Vestales legit, Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem: Salios Martis sacerdotes, quorum primus Praeful vocatur, XII. instituit. Pontificem Maximum creauit. Portas Ianogemino ædificauit. Annū in XII. mēses distribuit, additis Ianuario & Februario. Leges quoque plurimas & utiles: omnia iussu Ægeriæ nymphæ uxoris suæ se facere simulās. Ob hanc tantam iustitiā bellum ei nemo intulit. Morbo solitus in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cum libris à Terentio quodam exarata: qui libri quia leueis

A iii

C. PLINII

quasdam sacrorum causas continebant, ex autoritate patrum cremati sunt.

De Tullo Hostilio Romanorum rege III.

Cap. III.

TVLLVS Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certamine finiuit. Albam propter perfidiam ducis Metij Suffetij diruit. Albanos Romā transire iusit. Curiam Hostiliam cōstituit. Montem Cœlium urbi addidit. Et dum Numam Pompilium sacrificiis imitatur, Ioui Elio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagravit. Quum inter Romanos & Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio & Suffetio, placuit rē paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatij, tres apud Albanos Curiati, quibus fædere icto concurrentibus, statim duo Romanorum ceciderūt, tres Albanorum vulnerati. Vnus Horatius quāvis integer, quia tribus imparerat, fugā simulauit, & singulos per interualla, ut vulnerum erat dolor, interfecit. Et quum spoliis onustus rediret, sororem obuiam habuit quæ viso paludamēto sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere cœpit: frater eam occidit. qui apud Duumuiros condemnatus, ad populum prouocauit; ubi patris lachrymis condonatus, ab eo expiādi gratia sub tigillum missus, quod nunc quoq; viæ suppositum, Sororium appellatur. Metius Suffetius dux Albanorum, quum se inuidiosum apud ciueis videret, quod bellum solo trigeminorū certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes & Fidenates aduersum Romanos incitanuit. Ipse à Tullo in auxilium accessitus, aciem in collem subduxit, ut fortunam belli experi-

retur ac sequeretur. Quare Tullus intellecta, magna voce
ait, illud suo iussu Metium facere. Quare hostes territi vi-
ctique sunt. Postera die Metius quum ad gratulādum Tul-
lo venisset, iussu ipsius quadrigis religatus, ac in diuersa dis-
tractus est.

De Anco Martio Romanorum rege **III.**

Cap. **V.**

ANCVS Martius Numæ Pompilij ex filia nepos,
æquitate & religione auo similis, Latinos bello domuit. A-
uentinum & Ianiculum monteis urbi addidit. Noua mœ-
nia oppido circūdedidit. Sylvas ad usum nauium publicauit.
Salinarum vectigal instituit. Carcerem primus ædificauit.
Hostiam Coloniam maritimis commeatibus opportunam
in ostia Tyberis deduxit. Ius fæciale, quo legati ad res repe-
tendas uteretur, ab Esequicolis transstulit: quod primus fer-
tur Hesus excogitasse. His rebus intra paucos dies confe-
ctis, immatura morte præreptus, non potuit præstare qualem
promiserat regem.

De L.Tarquinio Prisco Romanorum rege **V.**

Cap. **VI.**

LVCIVS Tarquinius Priscus Lucumo, Græci De-
marati Corinthij filius, tyrannidem fugiens, in Heturiam
comigravit, ipse Lucumo dictus, urbe Tarquinii profugus,
Romam petuit. Aduenienti aquila pileum sustulit: & cum
altè subuolasset, reposuit. Tanaquil cōiunx, auguriorum pe-
rita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia &
industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiarita-
tem consequutus, à quo tutor liberis relictus, regnū intercep-
pit & ita administravit, quasi iure adeptus fuisset. Cetum

patres in Curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicauit: nomina mutare non potuit, Accij Nauij auguris autoritate deterritus, qui fidem artis suæ nouacula e cote firmauit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificauit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & priscis Latinis triumphauit. Murem lapideum urbi circundedit. Filium XIII. annorum, quod in prælio hostem percusisset, prætexta & bulla donauit: unde hec ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt. Post ab Anci liberis, immisis percussoribus, per dolum regno exutus est & interfectus.

De Servio Tullio rege VI.

Cap. VII.

S E R V I V S Tullius P. Corniculani, & Ocrisiae captiua filius, quem in domo Tarquinij Prisci educaretur, flammæ species caput eius amplexa est. Hoc viso Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. Coniugi sua sit ut ita eum ut liberos suos educaret. Qui cum adoleuisset, gener à Tarquinio assumptus est. Et quum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore loco ad populum despiciens, ait Priscum Tarquinium graui quidem, sed no lethali vulnere accepto, petere ut interim dum conualescit, Servio Tullio audientes esset. Seruius Tullius quasi precario regnare cœpit, sed rectè imperium administravit. Hetruscos sœpe domuit: collè Quirinalem & Viminalem & Exquiliis urbi addidit. Aggerem, fossasque fecit. Populu in quatuor tribus distribuit, ac post plebi distribuit annonam: mēsuras, pondera, classes, centuriāsque constituit. Latinorum populus persuasit, ut exemplo eorum qui Diana Ephesiae ædem fecissent, & ipsi ædem

DE VIRIS ILLVST.

5

Dianæ in Auentino ædificarent. Quo effecto, hos cuidam Latino mirè magnitudinis nata est. Res pōsum somnio datū, eum populum summā imperij habiturum, qui prius bouem illam immolasset. Latinus bouem in Auentinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus, dixit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tyberim descendit, sacerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuib⁹, sibi gloriam fact⁹ consilioque vindicauit. Seruius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habēs, cū Tarquinij Superbi filios pari animo videret, ut omniū mentes morū diuersitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimoniuū dedit. Sed mites seu forte, seu fraude perierunt: feroce, morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, aduocato Senatu regnum paternum repetere cœpit. Quare audita Seruius, dum ad curiam properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus, & domū refugiens, imperfectus est. Tullia statim in forum properauit, & prima coniugem regem salutauit: à qua iussa turba redere, quum domum rediret, viso patris corpore, mulionem evitantem, super ipsum corpus carpentum agere precepit: unde vicus ille Sceleratus dictus. Postea Tullia cum coniuge in exilium acta.

De Tarquinio Superbo Rom. rege VII.

Cap. VIII.

TARQVINIVS Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio regnum scelestè occupauit: tamen bello strenuus, Latinos Sabinosq; domuit. Suessam Prometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextū filium simulacrum transfugio in potestate redigit, & ferias Latinas primus

B

C. PLINII

instituit. Lacus in Circo, & cloacam maximā fecit, ubi totius populi viribus usus est. unde illæ fossæ, Quiritum sunt dictæ. Q[uod]um Capitolium inciperet, caput hominis inuenit: unde cognitum est, eam urbem caput gentium futuram: & cùm in obsidione Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsenam Hetruriæ regem confugit: cuius ope regnum retinere tentauit. Pulsus, Cumas concessit: ubi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

De Tarquinio Collatino.

Cap. IX.

TARQVINIVS Collatinus sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuueniū regiorum Ardeæ erat: ubi quum fortè in liberiore coniuicio coniugem suam unusquisque laudaret, placuit experiri. Itaq; equis Romam petunt. Regias nurus in coniuicio & luxu deprehendunt. exinde Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt, ita ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit, & iure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitia expugnauit. Illa postero die adiuvatis patre & coniuge, rem exposuit, & se cultro, quæ vestite texerat, occidit. Illi in exitium regum coniurarunt, eorumque exilio necem Lucretiæ vindicauerunt.

De Junio Bruto I. Romanorum Consule.

Cap. X.

IVNIVS Brutus sorore Tarquinij Superbi genitus, quum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occisus,

stultiā finxit, unde Brutus dictus. Iuuenibus regiis Delphos euntibus ridiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum Deo donum tulit. Vbi responsum est, eum Romæ summam potestatem habiturū, qui primus matrem oscularetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiae stuprum, cum Tricipitino & Collatino in exitium regum coniurauit. Quibus in exilium actis, primus Cōsul creatus, filios suos, fratribusque, quod cum Aquiliis & Vitelliis ad recipiendum in urbem Tarquinios coniurauerant, virgis casos securi percussit. Deinde in prælio quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij cōgressus, se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Cuius corpus in foro positum, à collega laudatū, matronæ anno luxerunt.

De Horatio Coelite. Cap. XI.

P O R S E N A rex Hetruscorum, cùm Tarquinios in urbem restituere tētaret, & primo impetu Ianiculum cepisset Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio prælio oculum amiserat) pro Ponte sublico stetit, & aciem hostiū sustinuit, donec Pons à tergo interrumpetur, cum quo in Tyberim decidit, & armatus ad suos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum est, quantū uno die circumarari potuisset: statua quoque ei in Vulcanali posita.

De Mutio, qui manum foculo immisit.

Cap. XII.

C V M Porfena rex urbem ob sideret, Mutius Scenola Cordus, vir Romanæ constantiæ senatū adiit, & veniam trans fugiendi petiit, necem regis re promittens. Accepta po-

C. PLINII

testate, in castra Porsenæ venit, ibique purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehensus, & ad regem pertractus, dexteram aris imposuit: hoc supplicij ab ea exigens, quod in cæde peccasset. Vnde quum misericordia regis abstrahetur, quasi beneficium referens, ait, trecētos aduersus eum simileis coniurasse. Quare ille territus, bellum acceptis obsidibus depositus. Mutio prata trans Tyberim data, ab eo Mutia appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

De Clælia virginē Cap. XIII.

P O R S E N A Clæliam virginem nobilem inter ob-sides accepit: quæ, deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum quæ sors dederat, arripuit, & Tyberim traiecit. A Porsena per Legatos repetita, reddita. Cuius ille virtutem admiratus, cū quibus optasset in patriam redire, permisit. Illa virgines puerosq; elegit, quorum ætatem iniuria obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

De morte Fabiæ gentis.

Cap. XIV.

R O M A N I quum aduersum Veientes bellaret, eos sibi hosteis familia Fabiorum priuato nomine depoposcit: & profecti trecentisex duce Fabio Cosule fuerunt. Quum saepe victores extitissent, apud Cremeram fluum castra posuerunt. Veientes ad dolos couersi, pecora ex aduerso in conspectu illorum posuerunt: ad quæ progressi Fabij, in insidias delapsi, ad unum occisione perierunt. Dies quo id factum, inter nefastos relatus. Porta qua profecti fuerant, Scelerata est appellata. Unus ex ea gente propter impuberem ætatem

DE VIRIS ILLVST.

7

domi relictus, genus propagauit ad Q. Fabium Maximū, qui Annibalem mora fregit. Cunctator ab obtrectatoriis dictus.

De L. Valerio Publicola.

Cap. XV.

LVCIVS Valerius Volesi filius, primū de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de utrisque gentibus triūphauit: hic, quia in locum Tricipitini collegae consulem subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat, in suspcionem regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus, quod de se tale aliquid timuissent, immisit qui dominum suam diruerent. Secures etiam fascibus dempsit, eosq; in populi concione submisit. Legem de prouocatione à magistris ad populum tulit: hinc Publicola dictus. Quum diem obiisset, publicè sepultus, & annuo matronarū luctu honoratus est.

De A. Posthumio. Cap. XVI.

TARQVINIVS electus, ad Manilium Tusculanum generū suum confugit, qui quum Latio cōcitato Romanos grauiter urgeret, A. Posthumius Dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus cōflicxit. Vbi quum victoria nutaret, Magister equitū equis frēnos detrahi iussit, ut irreuocabili impetu ferrentur: ubi & aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos Dictator quæsiros ut dignis muneribus honoraret, nō reperit. Castorem & Pollucem ratus, communi titulo dedicauit.

De L. Quintio Cincinnato.

Cap. XVII.

B iij

C. PLINII

LVCIVS Quintius Cincinnatus filium Cesonem petulatissimum abdicavit, qui & à Censoribus notatus, ad Volscos & Sabinos configuit, qui duce Cælio Graccho bellum aduersum Romanos gerebant, & Q. Minutium consulem in Algido mōte obsidebant. Quintius Dictator dictus, ad quem missi legati, nudum eum arātem trās Tyberim offendiderunt: qui insignibus sumptis consulem obsidione liberavit. Quare à Minutio & eius exercitu obsidionali corona donatus est. Vicit hosteis: ducē eorum in ditionem accepit, & in triumphi die ante currum egit. Sextodecimo die dictaturam, quam acceperat, depositū: & ad agriculturam reuersus, iterum post viginti annos Dictator dictus, Spuriū Melium regnum affectatē, à Seruilio Hala Magistro equitum occidi iussit. Domum eius solo aequauit: unde locus ille Äquimelium dictus.

*De Menenio Agrippa Romanae pacis insig-
ni arbitro. Cap. XVIII.*

MENENIVS Agrippa cognomento Lanatus, dux electus aduersum Sabinos, de iis triumphauit. Et quā populus à patribus secessisset, quod tributum & militia toleraret, nec renocari posset: Agrippa apud eū, Olim, inquit, humani artus, quum ventrē otiosum cernerent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negauerūt. Cum eo pacto & ipsi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per omnia mēbra digerere: & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus & populus quasi unum corpus discordia pereunt, concordia valent. Hac fabula populus regressus est. Creuit tamen Tribunos plebis, qui libertatem suam aduersum nobilitatis superbiam defenderet. Menenius autem tāta pau-

pertate deceſſit, ut eum populus collatis quadrantibus ſepe-
liret, locum ſepulchro ſenatus publicè daret.

De Cn. Martio Coriolano. Cap. XIX.

C N E V S Martius à captis Coriolis urbe Volſcorū,
Coriolanus dictus, ob egregia militie facinora à Poſthumio
optionem munerum accipiens, equum tantum & hōſpitem
ſumpſit, virtutis & pietatis exemplum. Hic consul graui
annonā, aduectum ē Sicilia frumentum magno pretio, dan-
dum populo curauit, ut hac iniuria plebs agros, non ſeditio-
nes coleret. Ergo à Tribuno pleb. Decio die dicta, ad Vol-
ſcos confeſſit, eōſq; duce Accio Tullio aduersus Romanos
concitauit, & ad quartum ab urbe lapidem caſtra poſuit.
Quūmq; nullis ciuium legationibus flecteretur, à Veturia
matre, & Volumnia uxore matronarum numero comitata
motus, omiſſo bello, ut proditor occiſus eſt. Ibi templum For-
tunæ muliebri conſtitutum eſt.

De Licinio Stolone primo conſule ex plebe.

Cap. XX.

F A B I V S Ambustus ex duabus filiis alteram Lici-
nio Stoloni, alteram Aulo Sulpitio patricio coiungem dedit:
quarum plebeia quum ſororem ſalutaret, cuius vir tribu-
nus militum conſulari potestate erat, fasces lictorios foribus
appositos indecenter expauit. à ſorore irriſa, marito queſta:
qui adiuuante ſocero, ut primum tribunatum plebis aggres-
ſus eſt, legem tulit, ut alter conſul ex plebe crearetur. Lex,
reſiſtente Appio Claudio, lata tamen. Et primus Licinius
Stolo conſul factus, idem lege ſanciuit, ne cui plebeio plus
centum iugera agri habere liceret. Et ipſe quum iugera cen-
tum quinquaginta haberet, & altera emancipati filij no-

T C. PLINII

mine posideret, in iudicium vocatus, et primus omnium sua lege punitus est.

De Virginio Centurione filiae occisore.

Cap. XXI.

POPVLVS Romanus quum seditiosos magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creauit, qui has ex libris Solonis translatas, duodecim tabulis exposuerunt. Sed quum pacto dominationis magistratus sibi prorogarent, unus ex ipsis Appius Claudius Virginiam Virginij Centurionis filiam in Algido militantis adamauit: quum quum corrumpere non posset, clientem subornauit, qui eam in seruitutem deposceret, facile victurus, quum ipse esset accusator et iudex. Pater re cognita, quum ipso iudicij die superuenisset, et filiam iam addictam videret, ultimo eius alloquio impetrato, quum eam in secretum abduxisset, occidit: et corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, et milites ad vindicandum facinus accedit: qui creatis decem tribunis, Auentinum occuparunt, Decemviros abdicare se magistratu praeceperunt, eosque omnes aut morte aut exilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

De Aesculapio Romam adiecto.

Cap. XXII.

ROMANI ob pestilentiam responso monente, ad Aesculapium Epidauro accersendum decem legatos principe Q. Volumnio miserunt. Qui quum eò venissent, et simulachrum ingens mirarentur, anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis, per medium urbem cum admiratione omnium ad nauem Romanorum perrexit, et se in Vo-

DE VIRIS ILLVST.

9

lumnij tabernaculo conspirauit. Legati deum vehētes, Antium profecti sunt. ubi per mollitiē maris, anguis proximum Aesculapij fanum petiit, & post paucos dies ad nauim rediit: & quum aduerso Tyberi subueheretur, in proximam syluam desiliuit, ubi templum ei constitutum: & pestilenta mira celeritate sedata est.

De Furio Camillo urbis Romæ liberatore.

Cap. XXXIII.

FVR IVS Camillus quum Faliscos obsideret, ac ludi literarum magister principum filios ad eum adduxisset, vincitum eum iisdem pueris in urbem redigendum & verberandum tradidit. Statim Falisci se ei ob tātam iustitiam dediderūt. Veios decenni obsidione domuit, dēq; iis triumphauit. Postmodū criminī datum, quod albī equis triumphasset, & prædam iniquè diuīsisset, die dicta, ab Apuleio tribuno plebis damnatus, Ardeam concessit. Mox quum Galli Senones relicti ob sterilitatem agris suis, Clusiu He truriæ obsiderent, missi sunt Romani tres legati, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent. Ex iis unus cōtra ius gentium in aciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditiōē legatis, nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam fluum occiderunt die XVI. Calend. Augusti: qui dies inter nefastos relatus, Allieſis dictus. Victores Galli urbem intrauerunt, ubi nobiliſimos senū in curulibus & honorū insignibus, primò ut deos venerati, deinde ut homines despiciati, interfecere. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obſessa, Camilli virtute liberata est: qui absens Dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos impro-

C

C. PLINII

uisos internecione occidit. Populum Rom. migrare Veios
violentem retinuit. Sic & oppidum ciuibus, & ciueis oppi-
do reddidit.

De Manlio Capitolino. Cap. XXIII.

MANLIVS ob defensum Capitolium Capitolinus
dictus, sexdecim annorum voluntarium militem se obtulit.
Triginta septem militaribus donis à suis ducibus ornatus, vi-
gintitres cicatrices in pectori habuit. Capta urbe author in
Capitolium fugiendi, quadam nocte clangore anseris exci-
tatus, Gallos ascendentibus deiecit. Patronus à ciuibus appell-
atus & farre donatus est. Domum etiam in Capitolio pu-
blicè accepit. Quia superbia elatus, quum à Senatu suppres-
sisse Gallicos thesauros argueretur, & addictos propria ma-
nu liberaret, regni affectati suspicione in carcerem coniectus,
populi consensu liberatus est. Rursus quum in eadem culpa
& grauius perseveraret, & reus factus, & ob conspectum
Capitolij ampliatus, alio deinde loco damnatus, & de saxo
Tarpeio præcipitatus. Domus diruta, bona publicata. Gen-
tilitas eius Manlij cognomine iurauit, ne quis postea Capi-
tolinus vocaretur.

De Cornelio Cocco. Cap. XXV.

FIDE NATE S Fidei Romanorum hostes, ut sine
spe veniae fortius dimicarent, legatos ad se missos interfeci-
runt, ad quos Quintius Cincinnatus Dictator missus Ma-
gistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Laërtem
Tolumnium ducem sua manu interfecit. De eo spolia opima
Ioni Pheretrio secundus ab Romulo consecrauit.

De P. Decio patre. Cap. XXVI.

DECIVS bello Samnitico sub Valerio Maxi-

mo & Cornelio Cocco consulibus Tribunus militū, exercitu in angustiis Gauri motis insidiis hostiū clauso, accepto quod postulauerat præsidio, in superiorem locum evasit, hostes terruit. Ipse int̄ pesta nocte per medias custodias somno oppresas incolumis evasit. Ob hoc ab exercitu ciuica corona de queru, quæ dabatur ei qui ciues in bello seruasset: obsidionali, quæ dabatur ei qui obsidione ciues liberasset, donatus est. Consul bello Latino, collega Mālio Torquato, positis apud Veserim fluuiū castris, quū vtriq; cōsuli somnio obuenis set, eos victores futuros, quorū dux in prælio cecidisset: quū collato cū collega somnio conuenisset, ut cuius cornu in acie laboraret, diis se Manibus voveret, inclinante sua parte, se & hostes per Valerium pontificem diis Manibus deuonit. Impetu in hostes factō, victoriam suis reliquit.

De P. Decio filio. Cap. XXVII.

P V B L I V S Decius Decij filius, primò Consul de Samnitibus triūphauit. Spolia de iis Cereri cōsecrauit. Iterum & tertio cōsul multa domi militiæque gesit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, quū Galli, Sānites, Vmbri, Tuscī contra Romanos conspirassent: ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante, exēplum patris imitatus, aduocato M. Liuio pontifice, hastæ insistens, & solennia verba respondens, se & hostes diis Manibus deuonit. Impetu in hostes factō, victoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnifice sepultum est.

De T. Manlio Torquato. Cap. XXVIII.

T I T V S Manlius Torquatus ob ingenij & linguae tarditatem à patre rus relegatus, quum audisset ei diem dictam à Pomponio Trib. pleb. noctu urbem petiit. Secretum

colloquium à Tribuno impetravit, & gladio stricto dimittere eum accusationem terrore multo compulit. Sulpitio Dictatore Tribunus militum Gallum prouocatorem occidit. Torquem ei detractum, ceruici suæ induit. Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Veserim fluum, Decij collegæ deuotione superauit. Consulatum recusavit, quod diceret neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre.

De M. Valerio Coruino.

Cap. XXIX.

RELIQVIAS Senonum Camillus persequebatur: aduersum ingentem Gallum prouocatorem solus Valerius Trib. militum omnibus territis processit. coruus ab ortu solis galeæ eius infedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli verberauit. Hoste deuicto Valerius Coruinus dictus. Hic, quum ingens multitudo ære alieno oppressa Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quintum necessitate compulsum fecisset, sublato ære alieno seditionem comprescit.

De Pontio Thelesino.

Cap. XXX.

TITVS Veturius, & Spurius Posthumius consules bellum aduersum Samnites gerentes, à Pôto Thelesino duce hostium per insidias seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanis dicerent, Luceriam à Samnitibus obsideri in Apuleia, quod duo itinera ducebant, aliud longius & tutius, aliud brevius & periculosius. Festinatis itaq; quin insidias statuisset, qui locus Furculæ Caudine vocatur, Pontius accitum patrem Herennium rogauit, quid fieri placet. Ille ait aut omnes occidêdos, ut vires frangeretur: aut

omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur. Vtroque improbato consilio, omnes sub iugum misit ex fædere, quod à Romanis improbatum est. Posthumius Samnitibus deditus, nec receptorus est.

De L. Papyrio Cursore.

Cap. XXXI.

LVCIVS Papyrius à velocitate Cursor, quum consularē sè aduersis omnibus aduersum Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romanam regressus, editus Fabio Rutiliano, quē exercitui præponebat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille opportunitate ductus pugnauit. Reuersus, eum securi ferire voluit: ille in urbem cōfugit, nec supplicem Tribuni tuebantur. Deinde pater lachrymis, populus precibus veniam impetrarunt. Papyrius de Samnitibus triumphauit. Idem Præneste quum prætorem grauissimè increpisset, Expedi, inquit, lictor secures. Et quum eū metu mortis attonitum vidisset, incommodam ambulantiis radicem excidi iussit.

De Q. Fabio Rutiliano.

Cap. XXXII.

QVINTVS Fabius Rutilianus, primus ex ea familia ob virtutem maximus, Magister equitum à Papyrio Cursore securi penè percussus, primū de Apulis & Luce-
rinis, iterū de Sānitib. tertio de Gallis, Vmbris, Marsis, at-
que Tuscis triūphauit. Censor libertinos tribu amouit. It-
erum Censor fieri noluit, dicens non esse ex usu Reipublicæ
eosdem Censores sapientius fieri. Hic primus instituit uti equi-
tes Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris, equis insi-
dentes in Capitolium transirent. Mortuo huic tantum æris

C. PLINII

populi liberalitate congestum, ut inde filius viscerationem
epulas publicè daret.

De M. Curio Dentato.

Cap. XXXIII.

M A R C V S Curius Dētatus primò de Samnitibus triumphauit, quos usque ad mare superum perpacauit. Regressus in concione ait, Tātum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepisset. tātum porrò hominū cepi, ut fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepisset. Iterum de Sabinis triumphauit. Tertiò de Lucanis ouans urbem introiuit. Pyrrhum regem Epirotarum Italia expulit: quaternadē agri iugera viritim populo diuīsit. Sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui nō tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerētibus, quum ipse in foco ūapa torreret: Malo, inquit, hæc infidelibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Quum interuersa pecunia argueretur, cadum ligneum, quo vti ad sacrificia cōsueverat, in mediū protulit: iurauitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Aquam deinde Annenem manibus hostiū in urbem induxit. Tribunus plebis patres authores fieri coēgit comitiis quibus plebeius magistratus creabatur. ob hæc merita domus ei apud Tiphatam, & agri iugera quingenta publicè data.

De Appio Claudio Cæco.

Cap. XXXIII.

A P P I V S Claudius Cæcus in Censura libertinos quoq; in Senatum legit: epulādi decantandiq; ius tibiciniis in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ, scilicet Potitorum & Piniorū. Potitios Her-

culis sacerdotes precio corrupit, ut sacra Herculea seruos publicos edoceret: unde cæcatus est: gens Potitorum funditus periit. Ne consulatus cum plebeis communicaretur, acerri-
mè restitit. Ne Fabius solus ad bellum mitteretur, contradi-
xit Sabinos, Samnites, Hetruscos bello domuit. Viā usque Brundusium stravit lapidibus: unde illa Appia dicta. A-
quam Anienem in urbem induxit. Censuram solus omni
quinquennio obtinuit. Quum de pace Pyrrhi ageretur, et
gratia potentum per legatum Cyneam precio quæreretur:
senex et cæcus lectica in Senatum latus, turpisimas condi-
tiones magnifica oratione discussit.

De Pyrrho rege Epirotarum. Cap. XXXV.

P Y R R H U S Rex Epirotarum materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, quum imperium orbis agitans, Romanos potenteis videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambiguè respondit,

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Hoc dicto in voluntate traxi, auxilio Tarētinis venit: bellū Romanis intulit: Leuinū cōsulē apud Heracleā elephātorū nouitate turbauit. Quācumq; Romanos aduersis vulneribus occisos videret, Ego, inquit, talibus viris breui orbe terrarū subigere potuisssem. Amicis gratulatibus, Quid mihi cū tali victoria, inquit, ubi exercitus robur amittam? Ad vigesimū ab urbe lapidem castra posuit, captiuos Fabritio gratis reddidit. Viso Leuini exercitu, eādem sibi ait aduersus Romanos, quā Herculi aduersus hydrā, fuisse fortunā. A Curio & Fabritio superatus, Tarētū refugit: in Siciliā traiecit. Mox in Italiam Locros regressus, pecunia Proserpinæ auer- here tentauit: sed ea naufragio relata est. Tum in Græciam

regressus, dum Argos oppugnaret, iictu tegulae prostratus est.
Corpus ad Antigonum regem Macedonie delatum, magnificè sepultum.

De Volsiniis. Cap. XXXVI.

VOLSINII, Hetruriæ nobile oppidum, luxuria penè perierunt. Nam quum temerè seruos manumitterent, dū in curiam legerent, consensu seruorum oppressi, cùm multa indigna paterentur, clam Roma auxiliū petierunt. Misérisque Decius Muræna mox libertinos omnes aut in carcere necauit, aut dominis in seruitutem restituit.

De Appio Claudio Caudice.

Cap. XXXVII.

APPIVS Claudius victis Volsiniësibus cognomento Caudex, frater Cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus, quorum arcem Carthaginieses & Hiero rex Syracusanus obsidebant, primò ad explorandos hosteis freatum piscatoria naue traiecit, & cum duce Carthaginensiū egit ut præsidium arce deduceret. Rhegium regressus, quinqueremem hostium copiis pedestribus cepit: phalangē in Siciliam traduxit. Carthaginieses Messana expulit. Hierona regem prælio apud Syracusas in deditioñem accepit: qui eo periculo territus, Romanorū amicitiam petiit, eisq; postea fidelissimus fuit.

De C. Duillio, & Himilcone Pœnorum duce.

Cap. XXXVIII.

CNEVS Duilius primo Punico bello dux cōtra Carthaginieses missus, quum videret eos multū mari posse, classem magis validā quam decorā fabrefecit: & quas cornu vocauere, manus ferreas cū irrisu hostium primus instituit,

quibus inter pugnandum hostiū naues apprehendit, qui vivi & capti sunt. Himilco dux clas̄is Carthaginem fugit, & à Senatu quæsuit quid faciēdum censerent. Omnibus, ut pugnaret, acclamantibus: Feci, inquit, & victus sum. sic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux male re gesta puniebatur. Duillio concessum est, ut prælucente funali, & præcincte tibicine, à cœna publicè rediret.

De Attilio Calatino. Cap. XXXIX.

ATTILIVS Calatinus dux Romanorū aduersus Carthaginenses missus, maximis & munitissimis ciuitatibus, Ætna, Drepano, Lilybœo, hostilia præsidia deiecit. Panormū cepit: totāmq; Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostium classem, duce Hamilcare, superauit. Sed quum ad Camerinā ab hostibus obsessam festinaret, à Pœnis in angustiis clausus est, ubi Tribunus militum Calphurnius Flāma acceptis trecentis in superiorē locū evasit. Confusum liberauit. ipse cum trecentis pugnans cecidit, & postea ab Attilio semianimis inuentus & sanatus, magno postea terrori hostibus fuit. Attilius gloriose triumphauit.

De M. Attilio Regulo. Cap. XL.

MARCVS Attilius Regulus consul fusis Salētinis triumphauit: primusque Romanorum ducum in Africam classem traiecit: quassatas duce Hamilcare naues lōgas tres & sexaginta accepit. Oppida ducēta, & hominum ducenta milia cepit. Absente eo, coniugi & liberis ob paupertatē sumptus publicè dati. Mox arte Xatippi Lacedæmonij mercenarij militis captus in carcerē missus. Legatus de permādis captiuis Romam missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demū rediret: in Senatu cōditionē dissuasit:

D

C. PLINII

reieclisque à se coniuge & liberis, Carthaginem regressus,
ubi in arcam ligneam coniectus, clavis introrsum adactis,
vigiliis ac dolore punitus est.

De Q. Lucretio Catulo. Cap. XL I.

QVINTVS Lucretius Catulus primo punico bello
trecentis nauibus aduersum Poenos profectus, sexcentas eo-
rum naues commeatis & aliis oneribus impeditas, duce
Himilcone apud Aegathes insulas inter Siciliam & Afri-
cam deprecessit, finemque bello imposuit. Pacem petentibus
hac conditione concepsit, ut Sicilia, Sardinia, & ceteris in-
sulis intra Italiam Africamque decederent, Hispania citra
Iberum fluuum abstinerent.

De Hannibale Carthaginensi duce.

Cap. XL II.

HANNIBAL Hamilcaris filius undecim annos
natus, à patre aris admotus, odium in Romanos perenne iu-
rauit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo
eo causam belli quærens, Saguntū Romanis federatam in-
tra sex menses euerdit. Tum Alpibus patefactis, in Italiā
traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Semproniu Longum
apud Trebiam, Flaminium apud Thrasymenum, Paulum
& Varronem apud Cannas superauit. Quumque urbem
capere posset, in Campaniā diuertit, cuius deliciis elanguit.
Et quum ad tertium ab urbe lapidem castra posuisset, tem-
pestatibus repulsus, primū à Fabio Maximo frustratus,
deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello
fugatus, in Africā reuocatus, à Scipione superatus, ad An-
tiochum regem Syriæ cōfugit, eumque hostē Romanis fecit:
quo victo, ad Prusiā Bithyniæ regē concessit: unde Roma-

na legatione repetitus, hausto quod sub annuli gemma habebat veneno absemptus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodie quoque inscriptum est, HANNIBAL HIC SITVS EST.

De Q. Fabio Maximo. Cap. XLIII.

QVINTVS Fabius Maximus Cunctator, ut Verrucosus à Verruca in labris, ita Onicula à clementia morū, Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. Minutium Magistrum equitum imperio equari sibi passus est: & nihilominus periclitanti subuenit. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statilium transfugere ad hostes volentem, equo & armis donatis retinuit: & Luca- no cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarentū ab hostibus recepit. Herculis signum inde translatum in Capitolio dedicauit. De redemptione captiuorum cum hostibus pepigit: quod pactum quum à Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit.

De Publio Scipione Nasica.

Cap. XLIV.

PUBLIVS Scipio Nasica à Senatu vir optimus indicatus, matrem deum hospitio recepit. quum aduersum auspicia Consulem à Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicauit. Cesar statuas quas sibi quisq; per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Dalmatarū expugnauit. Imperatoris nomen à militibus, & ab senatu triumphum recusauit oblatum. Eloquētia primus iuris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus fuit: unde vulgo Corculum dictus.

D ij

De M. Marcello. Cap. XLV.

MARCVS Marcellus Viridomarū Gallorum ducem singulari prælio fudit, spolia legit apud Nolam. Hannibalem primus, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Syracuse per treis annos expugnauit. Et quum per calumniam triumphus ei à senatu negaretur, de sua sententia in Alba no monte triumphauit. Quinque Consul, insidiis Hannibal deceptus occubuit, & magnificè sepultus. Offa Romā remissa, à prædonibus intercepta perierunt.

De Liuia Claudia virgine Vestali.

Cap. XLVI.

HANNIBALE Italiam deuastante, ex responso librorum Sibyllinorū, mater deūm è Pessinūte accersita, quū aduerso Tyberi ueheretur, repente in alto stetit: & quū mō ueri nullis viribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demū fœminæ manu moueri posse. Tum Claudia virgo Vestalis falso incestus suspecta, deam orauit, ut si pudicam sciret, sequeretur. Et zona imposta nauem mouit. simulacrum matris deūm aduexit. templum ædificauit Nasica, qui vir optimus iudicabatur.

De M. Porcio Catone. Cap. XLVII.

MARCVS Porcius Cato genere Tusculanus, à Valerio Flacco Romanam solicitatus, Tribunus militum in Sicilia, Quæstor sub Scipione fortissimus, Prætor iustissimus fuit. In pretura Sardiniam subegit. ubi ab Ennio Græcis literis institutus, Consul Celtiberos domuit. Et ne rebellare possent, literas ad ciuitatem singulas misit ut muros diruerent, quum unaquæque sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Tribunus militum sub M. Attilio Glabrone

occupatis Thermopylarum iugis, presidium hostium depulit. Censor L. Flaminium Consularem senatu mouit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eductum quedam è carcere in coniuio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis ornamenta erepta Oppia lege reperientibus restitit. Accusator assiduus malorum, Galbam octogenarius accusauit. Ipse quadrages quater accusatus, gloriosè absolutus, Carthaginem delendam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago huius, funeris gratia produci solet.

De Claudio Nerone & Hasdrubale fratre
Hannibalis. Cap. XLVIII.

HASDRVBAL frater Hannibal ingetibus copiis in Italiam traiecit: actumq; erat de Romano imperio, si coiungere Hannibali copias potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale castra coniuxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Hasdrubalem properauit, & se Linio college apud Senam oppidum & Metaurum flumen coniunxit: amboque Hasdrubalem vicerunt. Nero regressus pari celeritate qua venerat, caput Hasdrubalis ante vallum Hannibalis proiecit. Quo ille viso, vinci se fortuna Carthaginis confessus est. ob haec Liuius triumphans, Nero ouans, urbem introierunt.

De P. Cornelio Scipione Africano.

Cap. XLIX.

PUBLIVS Scipio ex virtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditur. nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit. Et ipsi paruulo draco circumfusus nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte euti

D iii

C. PLINII

nunquam canes allatruerunt. Nec hic quicquam prius cœpit, quam in cella Iouis diutissimè sedisset, quasi diuinam mentem accepisset. Decem & octo annorum patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiam deserere cupientes, sua authoritate compescuit. Reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Vigintiquatuor annorum Prætor in Hispania missus, Carthaginem, qua die venit, cepit. Virginem pulcherrimam, ad cuius aspectum concurrebat, ad se vetus adduci, patrique eius aponso restitui iussit. Hasdrubalem Magonemque fratres Hannibalis Hispania expulit. Amicitiam cum Syphace Mauroru rege coniunxit. Masinissam in societatem recepit. Victor domum regressus, Consul ante annos factus, cōcedente collega in Africā classe traiecit. Hasdrubalis & Syphacis castra una nocte perrupit. Reuocatum ex Italia Hannibalem superauit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit. Bello Antiochi legatus fratri fuit, captū filium gratis recepit. A Petilio Acteo Tribuno plebis repetundarū accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: Hac die, inquit, Carthaginē vici: quasi bonum factum, in Capitolium eamus, & diis supplicemus. Inde in voluntarium exilium concessit: ubi reliquam egit etatem. Moriens ab uxore petiit ne corpus suum Romam referretur.

De Liuio Salinatore. Cap. L.

LIVIVS Salinator primò Consul de Illyriis triumphauit: deinde ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribibus, excepta Metia, condemnatus. Iterū cū Claudio Nero ne inimico suo Consul, ne Resp. discordia male administra-

retur, amicitiam cum eo iniunxit, & de Hasdrubale triūphauit. Censor cum eodem collega omneis tribus, excepta Metia, ærarias fecit. stipendio priuauit, eo crimine, quod aut prius se iniuste condemnassent, aut postea tantos honores non recte tribuissent.

De T. Quintio Flaminio.

Cap. L.I.

TITVS Quintius Flaminius, Flaminij, qui apud Thrasymenum periit, filius, Consul Macedoniam sortitus, ducibus Caropis principis pastoribus prouinciam ingressus, regem Philippum prælio fudit, castris exuit. Filiū eius Demetrium ob sidem accepit: quem pecunia multatum, in regnum restituit. A Nabide quoque Lacedæmonio filium ob sidem accepit. Liberos etiam Græcos Nemeæ per præconem pronunciauit. Legatus etiam ad Prusiam, ut Hannibalem repeteret missus.

De Q. Fulvio Nobiliore. Cap. L.II.

QVINTVS Fulvius Nobilior Consul Ætolos Ambraciotisque superauit: unde ouans urbem introiit. Consul Achæos, qui bello Macedonio interfuerant, post ad Antiochum defecerant, præliis frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditioinem accepit: tamen signis tabulisque pictis spolianuit, de quibus triumphauit. Quam victoriam per se magnificam Marcus Ennius amicus eius insigni laude celebrauit.

De L. Scipione Asiatico. Cap. L.III.

SCIPIO Asiaticus frater Africanus, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine à fratre laudatus, Consul Antiochum regē Syriae legato fratre apud Sipylum

C. PLINII

montem, quum arcus hostium pluuiia hebetati fuissent, vicit: et regni relicti à patre, parte priuauit: hinc Asiaticus dictus. Post reus pecuniæ interceptæ, ne in carcerem educeretur, Gracchus Tribunus plebis intercessit. M. Cato Censor equum ei ignominiae causa ademit.

De Antiocho rege Syriæ.

Cap. LIII.

ANTIOCHVS Syriæ rex nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie Lysimachia repetendæ, quam à maioribus suis in Thracia conditam Romani possidebāt, statimque Græciam insulâsque eius occupauit. In Eubœa luxuria elanguit. aduentu Atilij Glabronis exercitus Thermopylas occupauit. Vnde industria Marci Catonis eius, in Asiam refugit. Nauali prælio, cui Hannibalem præfecerat, à L. Æmilio Regillo superatus, filium Scipionis Africani, quem inter nauigandum ceperat, patri remisit: qui ei, quasi pro reddenda gratia, suasit ut amicitiam Romanā peteret. Antiochus spredo consilio apud Sipylum montem cum L. Scipione conflixit. Vicit, et ultra Taurū montem relegatus, à sodalibus, quos temulentus in coniuicio pulsaverat, occisus est.

De Cn. Manlio Volsone.

Cap. LV.

CNEVS Manlius Volso missus ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, cupiditate triumphi bellum Pisidis et Gallogræcis, qui Antiocho affuerat, intulit. His facile viciis, inter captivos uxor regis Orgiagontis ceteri tunici cuidam in custodiam data: à quo vi stuprata, de iniuria tacuit. Et post imperata redemptione, marito adulterū cen-

turionem interficiendum tradidit.

De L. Ämilio Paulo Macedonico.

Cap. LV I.

LVCIVS Paulus Ämilius, filius eius qui apud Cänas cecidit, primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphauit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publicè posuit. iterum Consul Persen Philippi filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit, quem victimum fleuit, & asidere sibi iussit: tamen in triumphū duxit. In hac latitia duos filios amisit. Et progressus ad populum, gratias Fortunæ egit. quòd si quid aduersi Reipub. imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia & à populo & à senatu concessum est, ut ludis Circensis triumphali ueste uteretur. Ob huius licentiam & paupertatem, post mortem eius dos uxori, nisi venditis possessiobibus, non potuit excolui.

De T. Sempronio Graccho.

Cap. LVII.

TIBERIVS Sēpronius Gracchus nobilissima familia ortus, Scipionē Asiaticum quanuis inimicū, duci in carcерem nō est passus. Prætor Galliam domuit, Consul Hispaniam, altero Consulatu Sardiniam: tantumque captiuorum adduxit, ut longa vēditione res in prouerbium veniret, Sardi venales. Censor libertinos, qui rusticæ tribus occuparent, in quatuor urbanas diuinit: ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipsum authoritas tuebatur) reus factus. & quum eum duæ classes condemnassent, Tiberius iurauit se cum illo in exilium iturum: ita reus absolutus est. Et quum in domo Tiberij duo angues è geniali toro rep̄fissent, responso

C. PLINII

dato, eum de dominis peritum, cuius sexus anguis fuisset
occisus: amore Corneliae coniugis marem iusit interfici.

De P. Scipione Ämiliano.

Cap. LVIII.

P V B L I V S Scipio Ämilianus, Pauli Macedoni-
ci filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonia cū
patre agens, victimum Persen tam pertinaciter persecutus est,
vt media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispaniam le-
gatus, apud Intercatiam oppidum prouocatorem singulari-
prælio vicit. Muros hostilis ciuitatis primus ascendit. Tri-
bunus in Africa sub Tito Manilio imperatore cohortes o-
cto obsidione vallatas consilio & virtute seruauit, à quibus
corona obsidionali donatus. Quā ädilitatem peteret, Con-
sul ante annos ultrò factus, Carthaginem intra sex menses
deleuit. Numantium in Hispania, correcta prius militū di-
sciplina, fame vicit. hinc Numantinus dictus. Caio Lælio
plurimum usus. Ad reges adeūdos missus, duos secum, præ-
ter eum, seruos duxit. Ob res gestas superbus, Gracchū iure
occisum videri respondit. obstrepsente populo, Taceant, in-
quit, quibus Italia nouerca est, nō mater. Et addidit, Quos
sub corona vendidi. Censore Mummio collega segniore in
senatu ait, Utinam mihi collegam aut dedissetis, aut nō de-
dissetis. Suscepta Agrariorum causa domi repente exanimis
inuentus, obvulso capite elatus, ne liuor in ore appareret.
Huius patrimonium tam exiguum fuit, vt XXXII.
lib. argenti, duas & semilibram auri reliquerit.

De A. Hostilio Mancino.

Cap. LIX.

AVLVS Hostilius Mancinus Prætor aduersum Numantinos vetatibus anibus, & nescio qua voce reuocante profectus, quum ad Numatiam venisset, exercitū Pompeij acceptum prius corrigere decreuit: inde solitudinē petit. Eo die Numantini forte solēni nuptu filias locabāt: & una speciosam duobus competentibus, pater puellae conditionem tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dextram attulisset. Profecti iuuenes, abscessum Romanorū in modum fugae properatum cognoscunt: rem ad suos referunt. Illi statim quatuor millibus viginti millia Romanorum ceciderūt. Mancinus, authore Tiberio Graccho Quæstore, in leges hostium fædus percussit: quo per Senatum improbatum, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus, Præturam postea consecutus est.

De L. Mummio Achaico. Cap. LX.

LVCIVS Mummius deleta Achaia, Achaicus, aduersus Corinthios missus, victoriā alieno labore quasitam intercepit. Nam quum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset, cū lictoribus & paucis equitibus in Metelli castra properauit. Corinthios apud Leucopetram vicit duce Dioneo, qui domum refugit, eāmque incendit: coniugē interfecit, & se in ignem præcipitauit: excepto ipso nemo interiit. Mummius Corinthum signis tabulisque spoliauit: quibus quum totā replefset Italiam, in domum suam nihil contulit.

De Q. Cæcilio Metello Macedonico.

Cap. XI.

QVINTVS Cæcilius Metellus à domita Macedonia Macedonicus, Prætor Pseudophilippū, qui idē Andriscus

E ij

dictus est, vicit. Achæos bis prælio fudit: triūphandos Mū
mio tradidit. Inuisus plebi ob nimiam seueritatem: & ideo
tertiò post duas repulsas Consul agrè factus, Arbachos in
Hispania domuit. Apud Cantabriæ oppidum cohortes loco
pulsas, redire & locū recipere iussit. Num omnia proprio
& subito cōsilio ageret, amico cuidā quid acturus esset ro-
ganti: Tunicam, inquit, meam exurerem, si eam consilium
meum scire existimarem. Hic quatuor filiorum pater, supre-
mo tempore humeris eorum ad sepulchrum latus est: ex qui-
bus treis Consules, unum etiam triumphantem vidit.

De Q. Cæcilio Metello Numidico.

Cap. LXII.

QVINTVS Cæcilius Metellus Numidicus, qui
de Iugurtha rege triumphauit, Césor Quintum, qui se Ti-
berij Gracchi filium mentiebatur, in censum nō recepit. Idē
in legem Apuliam per vim latam iurare noluit: quare in
exilium actus Smyrnæ exulanuit. Claudia deinde rogatione
reuocatus, cùm ludis fortè literas in theatro accepisset, non
prius eas legere dignatus est, quām spectaculum finiretur.
Metellū sororis suæ virū laudare noluit, quod is olim suum
indictum & leges detrectarat.

De Q. Metello Pio. Cap. LXIII.

QVINTVS Metellus Pius, Numidici filius, Pius,
quia patrem lachrymis & precibus aſdiuè ab exilio reuo-
cauit. Prætor bello sociali Qu. Pompeium Marforum du-
cem interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres op-
pressit. Sertorium Hispania expulit. Adolescens in pe-
titione Præturæ & pontificatus, consularibus viris præla-
tus est.

De Tiberio Graccho. Cap. LXIII.

TIBERIVS Gracchus Africani ex filia nepos, Quæstor Mæcino in Hispania, fœdus eius flagitiosum probauit. Periculum deditonis eloquentiæ gratia effugit. Tribunus plebis legē tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet. Octa uio collega intercedente, nouo exēplo magistratu abrogauit. Deinde tulit, ut ea familia quæ de Attali hæreditate erat, ageretur, & populo diuideretur. Deinde quum prorogare sibi potestate vellet, aduersis auspiciis in publicū processit, statimque Capitolium petiit, manum ad caput referens, qua salutem suam populo commendabat. hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur: segniterque cessante Mutio Cōsule, Scipio Nasica sequi se iussit, qui saluam Rempub. vellent. Gracchū in Capitoliū persecutus oppressit. Cuius corpus Lucretij Ædilis manu in Tyberim missum, unde ille Vespollo dictus. Nasica ut inuidiæ subtraheretur, per specie legationis in Asiam ablegatus est.

De C. Graccho. Cap. LXV.

CAIVS Gracchus pestilentem Sardiniam Quæstor sortitus, nō veniente successore, sua spōte discessit. Asculana & Fregellanæ defectionis inuidiā sustinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. colonos etiam Capuam & Tarentum mittendos censuit. Triumuiros agris dividendis se & Fulvium Flaccum & C. Crassum constituit, Minutio Rufo Tribunoplebis legibus suis abrogare in Capitolium venit: ubi quum Attilius præco Opimij Cōsulis in turba fuisset occisus, in forū descendit, & imprudens concionem à Tribunoplebis auocauit. quare accersitus, cū in senatum nō venisset, armata familia Auētinum occupauit. ubi

E ij

C. PLINII

ab Opimio victus, dū à tēplo Dianaē desiliit, talum intorsit,
et Pomponio amico apud portā Trigeminam, P. Lectorio
in Ponte Sublico persequentibus resistente, in lucum Furi-
næ peruenit. Ibi vel sua vel servi Euphori manu interfe-
ctus, caput à Septumuleio amico Gracchi, ad Opimum re-
latum, auro exp̄sum fertur, propter auaritiam infuso plum-
bo grauius effectum.

De M. Liuio Druso. Cap. LXVI.

M A R C V S Liuius Drusus genere & eloquētia ma-
gnus, sed ambitiosus & superbus, et dilis munus magnifice
tissimum dedit: et ibi Rubrico collegæ quæda de utilitate
Reipublicæ suggestore, Quid tibi, inquit, cū Republica no-
stra? Quæstor in Asia nullis insignibus uti voluit, nequid ip-
so esset insignius. Tribun⁹ pleb. Latinis ciuitatē, plebi agros,
equitibus curiam, senatui iudicia permisit. nimia liberalita-
tis fuit. Ipse etiam professus, nemini se ad largiendum preter
cælum & cænum reliquisse. Ideoque quum pecunia egeret,
multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritanicæ
principem ob regis simultatem profugum, accepta pecunia
Boccho prodidit: quem ille elephāto obiecit. Adherbalem
filium regis Numidarum ob fidem domi suæ sumpsit, redem-
ptionem eius occulte à patre speras. Cæpionem inimicum a-
ctionibus suis resistente, ait se de saxo Tarpeio præcipitatu-
rum. Cōsuli legibus Agrariis resisteti, ita collum in comitio
obtorsit, ut multus sanguis efflueret è naribus: quæ ille luxu-
ria comprobas, morti iam detrudi se dicebat. deinde ex gra-
tia in inuidia venit. nam plebs acceptis agris gaudebat, ex-
pulsi dolebat, equites lecti lætabātur, Senatus permisit iu-
diciis exultabat: sed societatem cum equitibus agrè ferebat.

Vnde Liuius anxius, ut Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant, repete in publico concidit, siue morbo comitali, seu hausto caprino sanguine, semianimis domū relatus. Vota pro illo per Italiam publicē suscepta sunt: & quum Latini Consulem in Albano monte interfecit, Philippum admonuit ut caueret. Vnde in senatu accusatus, quum domum se reciperet, immisso inter turbā percussore, corruit. Inuidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit.

De C. Mario patre. Cap. LXVII.

CAIVS Marius septies Consul, Arpinas humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus, Iugurtham captum ante currū egit. In proximum annum Consul ultrò factus, Cimbros in Gallia apud aquas Sextias, Teutonas in Italia, in capo Claudio vicit, déque his triūphauit. Usque ad sexies consul per ordinem factus Apuleium Saturninum Trib. plebis, & Glauciam Prætorem seditiosos ex senatus consulo interermit. Et quum Sulpitia rogatione provinciā Syllæ eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in palea latuit. Inuētus, & in carcerem coiectus, immisso percussore Gallum vultus auctoritate deterruit, acceptaque nauicula in Africā traiecit. ibi diu exulanit. Mox Cinna dominatione reuocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit: cæsisq; inimicis iniuriam vltus, septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte deceſit.

De C. Mario filio. Cap. LXVIII.

CAIVS Marius filius vigintiquinque annorum consulatum inuasit: quem honore tam immaturū mater fleuit.

Hic patri sœvitia similis, curiam armatus obsedit, inimicos trucidauit, quorum corpora in Tyberim precipitauit. In apparatu belli quod contra Syllam parabatur, apud Sacripotum vigiliis & labore defessus, sub dio requieuit: & absens victus fugæ, non pugnæ interfuit. Præneste refugit, ubi per Lucretium Ofellam obcessus, tentata per cuniculum fuga, quum omnia septa intelligeret, iugulandum se Pontio Thelesino præbuit.

De L.Cornelio Cinna. Cap. LXIX.

LVCIVS Cornelius Cinna flagitosissimus Rempub. summa crudelitate vastauit. Primo consulatu legē de exilibus reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus & honore priuatus, urbe profugit: vocatisq; ad pileum seruis, aduersarios vicit. Octauium interfecit. Ianiculum occupauit. Iterum & tertio Consulem seipse fecit. Quarto consulatu quum bellum contra Syllam pararet, Ancone ob nimiā crudelitatem, ab exercitu lapidibus occisus est.

De C.Fimbria. Cap. LXX.

C.Fimbria (sæuissimus quippe Cinnæ satelles) Valerio Flacco Consuli legatus in Asiam profectus, per simultatē dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curauit. Ipse correptis imperij insignibus, prouinciam ingressus, Mithridatem Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portæ patuerūt, incendi iussit: ubi Mineruæ templum iniuiolatum stetit, quod diuina maiestate seruatum nemo dubitauit. Idem Fimbria militi & principes securi percusſit: mox à Sylla Pergami oppressus, corrupto exercitu desertus, semet occidit.

De Viriato Lusitano. Cap. LXXI.

VIRIATVS genere Lusitanus, ob paupertatem pri-

mō mercenarius, deinde alacritate victor, audacia latro, ad postremū dux, bellum aduersum Romanos sumpfit, eorūmq; imperatorē Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidiū oppresit. Pacē à Popilio maluit integer petere, quām vicitus: & quum alia dedisset, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cæpio quum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositū perimerent. Quæ victoria, quia empta erat, à senatu non probata.

De M. Æmilio Scauro. Cap. LXXII.

M A R C U S Æmilius Scaurus nobilis, pauper. nam pater eius, quanuis patricius, ob paupertatem, carbonarium negotium exercuit. Idem primō dubitauit, honores peteret, an argentariam faceret: sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit. Primō in Hispania corniculum meruit, sub Horeste in Sardinia stipendia fecit. Ædilis, iuri reddendo magis, quām muneri edēdo studuit. Prætor aduersus Iugurtham: tamen eius pecunia vicitus. Consul legem de sumptibus & libertinorum suffragiis tulit. P. Decium Prætorem transeunte ipso sedentem, iussit assurgere, eique vestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eū in ius iret, edixit. Consul Ligures & Gantiscos domuit, atq; de his triūphauit. Censor Æmiliam stravit. Pontem Milium fecit. Tantumque autoritate potuit, ut Opimum contra Gracchum, Marium contra Glauciam & Saturninum priuato consilio armaret. Idem filium suum, quia præsidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere. Ille ob hoc dedecus morte sibi consciuit. Scaurus senex quum à Vario Tribunoplebis argueretur, quasi socios & Latium ad arma coëgisset, ad populum ait, Varius Sucronensis Æmilius Scaurum ait socios

ad arma coëgisse. Scaurus negat: utri potius credendum pustatis?

De L. Apuleio Saturnino. Cap. LXIII.

LVCIVS Apuleius Saturninus Tribunus plebis sediosus, ut gratiā Marianorum militum pararet, legē tulit, ut veteranis centena agri iugera in Africa diuideretur: Intercedentem Bebium collegam, facta per populu lapidatione submouit. Glaucia Prætori, quod is eo die, quo is concionem habebat, ius dicendo partē populi aduocasset, sellam concidit, ut magis popularis videretur. Quendam libertini ordinis subornauit, qui se Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia soror Gracchorum producta, nec precibus nec minis adduci potuit, ut dedecus familiæ agnosceret. Saturninus Aulo Memmio cōpetitore interfecto Tribunus pleb. refectus, Siciliam, Achaiam, Macedonia nouis colonis destinauit: et aurū dolo an scelere Cæpionis partum ad emptionē agrorum conuerit. Aqua et igni interdixit ei qui in leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus abrogantibus quum tonuissest, Iam, inquit, nisi quiescitis, grandinabit. Metellus Numidius exulare quam iurare maluit. Saturninus tertio Tribunus pleb. refectus, ut satellitem suum Glauciam Prætorem faceret, Mummiūm competitorem eius in campo Martio necandum curauit. Marius senatus cōsulto armatus, quo censebatur, Nequid Respub. detrimenti caperet, darent operam Consules: Saturninum et Glauciam in Capitolium persecutus obsegit, maximōque astu incisis fistulis, in deditiōne accepit: nec deditis fides seruata est. Glaucia fracta ceruix. Apuleius quum in curiā fugisset, lapidibus et tegulis desuper inter-

fectus. Caput eius Rabirius quidam senator per cōiuia in ludibrium circuntulit.

De L. Lucullo. Cap. LXXIII.

LVCIVS Lucullus nobilis, disertus & diues, munus quaestorium amplissimum dedit. Mox per Muranam in Asia classem Mithridatis, & Ptolomaeum regem Alexandriae Consuli Syllae conciliavit. Praetor Africam iustissime rexit. Aduersus Mithridatem missus, collegam suum Cottam Chalcedoniae obseßum liberavit. Cyzicū obſidione ſoluit. Mithridatis copias ferro & fame affixit, eumque regno ſuo Ponto expulit. Quem rurſum cum Tigrane rege Armeniae ſubueniente magna felicitate ſuperauit. Ni- mius in habitu, maximè signorum & tabularum amore fla- grauit. Post cum alienata mente desipere cœpit, tutela eius M. Lucullo fratri permifſa eft.

De L. Cornelio Sylla. Cap. LXXV.

CORNELIVS Sylla in fortuna Felix dictus, quū paruulus à nutrice ferretur, mulier obuia, Salue, inquit, puer tibi & Reipub. tuæ felix. Et statim quæſita quæ hæc dixiſſet, non potuit inueniri. Hic Quæſtor Marij Ingurthā à Bocco in deditiōne accepit. Bello Cimbrico & Teu-tonico legatus, bonam operam nauauit. Praetor inter ciues ius dixit. Praetor Ciliciam prouinciam habuit. Bello ſociali Samnites Hyrpinosq; ſuperauit. Ne monumēta Bocchi tol-lerentur, Mario reſtitit. Consul Asiam ſortitus, Mithri- datem apud Orchomenū & Chæroneā prælio fudit. Ar- chelaum prælio, prefectum eius Athenis vicit. Portum Pei- ræum recepit. Medos, Dardanos in itinere ſuperauit. Mox quum rogatione Sulpitia imperium eius transferretur ad

Marium, in Italiam regressus, corruptis aduersariis exerceitibus, Carbonem Italia expulit: Marium apud Sacripotum, Thelesinum apud portam Collinam vicit. Mario Praeneste imperfecto, Felicem se editio appellauit. Proscriptionis tabulas primus proposuit. Nouem millia deditorum in villa publica cecidit. Numerum sacerdotum auxit, Tribunitiam potestatem minuit. Repub. ordinata dictaturam depositus: unde deceptus, Puteolos cocepit: & morbo qui phthiriasis vocatur, interiit.

De Mithridate rege Ponti. Cap. LXXVI.

MITHRIDATES rex Ponti oriundus à septem Persis, magna vi animi & corporis, ut sexiunges equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur: bello sociali disidentibus Romanis, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. literas per totam Asiam misit, ut quicunque Romanus esset, certa die interficeretur: & factum est. Graciam insulásque omnes, excepta Rhodo, occupauit. Sylla eum prælio vicit, classem eius proditione Arche lai interceptit. Ipsum apud Orchienum oppidū fudit & oppressit. & potuit capere, nisi aduersum Marium festinans, qualemcumque pacem componere maluisset. Deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit. Mithridates post à Po peio nocturno prælio victus, in regnum configuit: ubi per seditionem popularem à Pharnace filio in turre obseßus, venenum sumpſit. Quum id tardius subiret, qui aduersum venena multis antea medicaminibus corpus firmauerat: immisum percussorem Gallum Sitho cum authoritate vultus territum reuocauit, & in cædem suam manum trepidantis adiunxit.

De Cn. Pompeio Magno. Cap. LXVII.

CN. Pompeius magnus ciuili bello Syllæ partes secutus, ita egit, ut ab eo maximè diligeretur. Siciliam sine bello à proscriptis recepit. Numidiā larbæ ereptam, Masinissæ restituit. Viginti sex annos natus triumphauit. Lepidū acta Syllæ rescindere volentē, priuatus Italia abrogauit. Prætor in Hispaniā procōsulibus missus Sertoriū vicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditiōnem, Mithridatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate rerum in Septentrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Iberos: tunc in Orientem Parthos, Arabas, atque Iudeos cum magno sui terrore penetrauit. Primus in Hircanum, Rubrum & Arabicum mare usque peruenit. Mox diuiso orbis imperio, quum Crassus Syria, Cesar Galliam, Pōpeius urbem obtineret, post cedem Crassi Casarem dimittere exercitum iussit. Cuius infesto aduentu urbe pulsus, in Pharsalia victus, ad Ptolemaeum Alexandriæ regem fugit. Huius latus sub oculis uxoris & liberorum à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone cōfōssum est. Iamq; defuncti caput gladio præcīsum, quod usq; ad ea tempora fuerat adoratū. Trūcus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inustus, humatusque est, inscribēte sepulchro, *HIC SITVS EST MAGNVS POMPEIVS.* Caput ab Achilla Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine inuolutum, cum annulo Cæsari præsentatum est. Qui non continens lachrymas, illud plurimis & preciosissimis odoribus cremandum curauit.

F I N I S.

F ij





DE LIBRIS PLUTARCHI

De libris Plutarchi. Quod est de libro de vita Cato. De vita Socratis. De vita Timothei. De vita Apollonii. De vita Pythagorae. De vita Peri. De vita Cratii. De vita Lycii. De vita Nicias. De vita Demosthenis. De vita Cimonis. De vita Alcibiades. De vita Pericles. De vita Thucydidis. De vita Xanthippae. De vita Agesilaui. De vita Leonis. De vita Antisthenes. De vita Zeno. De vita Crates. De vita Diogenes. De vita Pyrrhi. De vita Appiani. De vita Cypriani. De vita Cato. De vita Socratis. De vita Timothei. De vita Apollonii. De vita Pythagorae. De vita Peri. De vita Lycii. De vita Nicias. De vita Demosthenis. De vita Cimonis. De vita Alcibiades. De vita Pericles. De vita Thucydidis. De vita Xanthippae. De vita Agesilaui. De vita Leonis. De vita Antisthenes. De vita Zeno. De vita Crates. De vita Diogenes. De vita Pyrrhi. De vita Appiani. De vita Cypriani.

LIBRI

11





Worlhy
Lem
f
fogm
ly mo
V
Lemot
mon et
Aed
vt deo
S
Aledio
et dunc
v. Aro
condon
rym
nere
one paff
dunc
nubler
com
nlys
m
y
z
no
rem
pare
B





